



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum Cl. Djana, dea multiformis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

## SYMBOLVM CL.

Diana, dea multiformis.

Ex Variis.

Ethicè.

1. Varia Lunæ seu Dianæ symbola. Somnolentia. 2. Dianæ inferæ cultrices fagæ. An plures venefici, an veneficæ? 3. Diana venatrix Castitatis exemplar. Commendatio venationis.

**M**irè variant in hac dea describenda Poëtæ, sive nomina spectes illius, sive mûnia. Horatius lib. 3. Carm. Od. 21.  
 Montium custos, nemorûmque Virgo,  
 Quæ laborantes utero puellas  
 Ter vocata audis, adimisque letho  
 Diva triformis.

Quibus versibus exprimitur, ipsam esse *venatricem*, & *silvarum*, nemorûmque deam. Item *parturientium* Præsidem, & *Lucinam* vocari, quòd partum in lucem proferre crederetur. Quo nomine, suprà diximus, etiam Junonem appellatam, quia scilicet puerperas in enitendo partu juvet. Parùm refert, sive hæc, sive illa dea, sive utraque obstetricandi officium in se suscipiat; cùm satis utrique laboris in hoc suppetat officio. Mythologus lib. 3. c. 18. ait, Dianam ideo puerperis præfectam, ut intelligeret, quantum malorum cumulum devitasset, cùm virginitatem experivit. *Dianam* aiunt vocari, quia noctu quasi diem efficiat: nam eadem in cælo est *Luna*, in terris *Diana* & apud inferos *Hecate* seu *Proserpina*, seu Juno inferna. 6. *Æneid.* adeò liberales sunt Poëtæ, sive velint augere deos, sive minuere. *Trivia* quoque nomine appellatur Diana, vel quòd præesset triviis: solebant enim statuæ ejus poni in trivio, ibique sacrificia fieri. Vel quòd tria haberet capita; dextrum caput *canis*, sinistrum *equi*, medium *hominis*, aut suis agrestis, seu *apri*. Vel quòd in cælo, in terra, apud inferos eadem polleret potestate; hinc versiculi:

Terret, lustrat, agit, Proserpina, Luna, Diana,  
 Iana, superna, feras, sceptro, fulgore, sagitta.

Vel



Vel quia triplicem visitationem habet Luna. 1. Cùm surgit in cornua, & falcata dicitur. 2. Cùm dividua seu dimidia est. 3. Cùm orbe circumacta plena est. Hæc igitur in cœlo dicitur Luna, sive quod noctu *una*, hoc est, sola, & sine fratre luceat: sive quod lumen à sole accipiat, quasi luce lucens aliena. Eadem *noctiluca* vocatur: & Phœbe, Jovis filia ex Latona, eodem cum Apolline seu Phœbo partu edita. Nomen *Delia* habet ab insula natali Delo. Atque ut Sol de die quadrigis, ita ipsa de nocte bigis per cœlum invehitur. Virgil. lib. 10.

Jámque dies cœlo concesserat, almâque curru  
Noctivago médium Phœbe pulsabat olympum.

Equos alii discolorés, alii candidos ejus adjungunt curru. Ovidius:  
Ut solet, in niveis Luna vehetur equis.

Currus ipse & vestitus deæ ex argento est. Creditur præesse beneficiis, & ideò cum Hecate, vel ut Hecate, invocari à sagis, cœloque deduci. Pastor Virgilianus eclog. 8.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

In qua arte maximè excelluisse dicuntur mulieres Thessalicæ. Videtur hæc opinio nata, quòd in speculis rotundis sublustri cœlo, Luna redderetur imago; vel quòd terra se inter solem & lunam interponente, lumen ipsius eclipsin patiat; quo tempore putabant antiqui, æris tintu, & luminibus altè sublatis, Lunæ fulgorem revocari posse. Cornelius Tacitus lib. 1. scribit, quosdam populos æris sono, tubarumque & cornuum concentu, Lunæ nubibus obductæ, aspectum sibi & propitium lumen revocare solitos. Inde fortasse moti, quòd non nescirent, miram Lunæ in hæc inferiora vim inesse. De ea Plinius lib. 2. c. 9. Hæc, inquit, afflatu suo terras saturat, accedensque corpora implet, abscedens inanit, ideòque cum incremento ejus augentur conchylia: sanguis etiam hominum cum ejus lumine augetur ac minuitur: frondes quoque ac pabula vim ejus in omnia penetrantem sentiunt: ferarum occisa corpora in tali cursu, vique cieri, variari, regi, ac moderari, & antiquitus, hodièque multis est probata sententia. Hæc ille solers naturæ indagator. Xenophanes credidit Lunam à quadam gente inhabitari, ibique locum esse multarum urbium. Montes in luna inveniri, sunt etiam hodie qui asserant. Porrò Lunæ sacrificabatur olim à viris veste muliebri, à mulieribus virili indutis. Spartianus in Caracalla narrat, olim in *Carrhis*, urbe Mesopotamiæ, Lunæ masculæ & feminae unicum gemino capite simulacrum extitisse; Qui *Lunum*, id est, Lunam masculam coluissent, imperium



imperium in uxores impetrabant; qui verò Lunam feminam adorassent, uxoribus se obnoxios esse profitebantur. Lunam laudans Siracides. c. 23. vocat eam *vas castrorum in excelsis, in firmamento caeli resplendens gloriose*. Sicut enim stellæ vocantur *castra & militia caeli*, divinis in litteris; sic Luna incedit inter eas, quasi regina, luminis & pulchritudinis admirandâ gloriâ. *Secundus* philosophus interrogatus ab Hadriano Imp. Quid est luna? respondit: Cœli purpura, solis æmula, noctis oculus, maleficiorum inimica, solamen iter agentium, præfagium tempestatum.

## Ethica.

I. (a) De Luna fabellam narrat Cleobulus Philosophus in convi-  
vio Sapientum. Petiit à matre Luna, ut sibi tuniculam congruentem  
texeret; mater verò respondit: Quí possum verò, ô filia? cum te jam  
plenam, mox in cornua attenuatam, rursus dimidio orbe, videam?  
Quò significatur, Lunam esse symbolum inconstantia. Homo namque  
fatuus & vitiosus, levibus momentis in varios affectus impellitur: mo-  
dò iratus est, modò lenis, modò tristis, modò hilaris, prout diversa re-  
rum imagines animum perculerunt. *Stultus sicut luna mutatur.* Eccle-  
siastici c. 27. 2. Luna semper averfis à Sole cornibus, si crescat, or-  
tum spectat: si minuatur, occasum. Fons lucis Deus est: vis, ut con-  
silia & cœpta tua felicem habeant progressum, ortum specta, actionum  
initia à religione auspiciare: quòd si humanis tantum rationibus molitio-  
nes tuas meriare; tendes in occasum, & *evanesces in cogitationibus tuis.*  
3. Luna cum nobis lucet, superioribus cœli partibus haud fulget; quia  
de loco superiore lumen non recipit, sed inferiore.

Nimirum graviter laborat cerebro, qui apud homines splendere cupit,  
& apud Deum obscurus latet. 4. Luna tunc maximè splendet, cum  
maximè distat à sole; obscuratur, cum sit propinquior. Nempe, quò  
quisque ad divinam lucem magis accesserit, magis ipse sibi vilescit; quò  
longius ab illa recedit, hoc magis inanem & evanidum fulgorem spargit  
apud homines. 5. Luna splendens de nocte, significat, virtutem maxi-  
mè in adversis elucescere. 6. (b) Phoebe in *novilunio* allatratur à cani-  
bus, ejus lucem non ferentibus, sed illæsa. Virtus quò illustrior, hoc  
plurimum appetitur calumniis; nihilominus intaminata fulget. 7. Veterum  
Romanorum nobilissimi, Lunæ imaginem in calceis gestabant: nam ex-

LIII

trema

(a) *Varia Luna Symbola.* (b) *Plenilunio.*



trema pars calcei lunulam referebat; ut illo symbolo nobilitatis & excellentiæ, memores redderentur inconstantia rerum humanarum, ait Plutarchus quaest. Rom. 76. 8. Proverbiò fertur: *Lunam de caelo detrachere.* Quod sibi fingunt, qui non intelligunt, quid sit lumen Lunæ obstaculo terræ obtenebrari. Convenit in eos, qui ubi Deus aliquem rebus adversis exercet, & quasi obscurari & deficere permittit, continuo sibi persuadent, Lunam esse de caelo detractam, actum esse de felicitate & salute hominis, sed splendidè falluntur; uti falsi sunt amici Jobi, ærumnas viri patientissimi iram divinam interpretantes. Nam, ut ipsemet de se testatur cap. 11. *Cum te consumptum putaveris, orietis mane ut lucifer.* 9 (c) Endymionem, puerum pastoritium Luna adamabat; eique à Jove impetravit, ut quidquid is optasset, obtineret. Optavit Endymion, ut perpetuum dormiret somnum, sub Cariaë montis specu abditus. Inde adagium: *Endymionis somnum dormis.* In eos quadrat, quorum tota vita & voluptas est otium & somnus. Cicero lib. 5. de fin. differens, id maximè, ait, nobis insitum esse à natura, ut agamus aliquid: itaque ne si jucundissimis quidem nos insomniis usuros putemus, Endymionis somnum nobis nolimus dari, idque si accidat, mortis instar putemus. Simile huic adagium est: *Ultra Epymenidem dormis.* Fuit is poëta Epicus, patria Cretensis, qui puer à patre in agrum ad pecus custodiendum missus, in quodam antro obdormivit septem & quinquaginta annis. Plin. lib. 7. c. 52. Applicatur hoc Sophistis & vanis Dialecticis, qui tantam inanium somniorum, distinctionum, divisionum, præcisionum, captionum copiam invexerunt in orbem, ut longissimo sit opus, & plurimorum annorum somno ad eas species agitandas. Chiliafles. 10. Luna cum suo pufione matrem refert, nimis molliter filio indulgentem, cui pœnam pro munere poscit à diis, cum sanum magis & adipatum somno corpus, quam sanam petit mentem. Peccavit etiam Epimenidis pater, *Agiasarchus* nomine, quod filium ad custodiam pecoris missum, negligenter conquiescit, & à somno non excitavit. Plurimorum hæc culpa parentum est; qui parùm habent sibi curæ, quid sex, septem, & amplius annis filius in scholis proficiat, quomodo rerum suarum fatagat, an plus temporis somno & desidia, quam studiis & labori impertiat; modò niteat pueri cuticula, & pinguescat Epicuri de grege porcellus.

II. (d) Hæc de Diana, quatenus appellationem & officium Lunæ habet. Nunc consideremus eam, ut reginam apud inferos agentem, noménque *Proserpina* & *Hecates* obtinentem. De Proserpina egimus symb.

(c) Somnolentia. (d) Diana infera, seu Proserpina, aut Hecates, cultrices Jaga & Striges.



symb. 27. & 79. Modò de Hecate fabulemur; quæ sic dicta est, quod *centum* victimis placetur, aut quòd centum annos errare faciat insepultos. *Tergemina* nuncupatur, quod tria habeat, ut diximus capita, canis, equi, apri. Noctis alii filiam fuisse volunt, alii Cereris. Hanc terribilem aspectu, præeritatæque corporis, vel ad dimidii mensuram stadii, excurrentis; pedesque habuisse ad serpentis formam, & vultum Gorgonum figuræ similem, Poëticiis tabulis traditur. Pro cœna, densissimi dracones & viperæ visebantur; quarum aliæ in cincinnorum morem contortæ, aliæ collum amplexatæ, aliæ per humeros sparsim demissæ, ut Lucianus testatur. Canes eam plures sequebantur latrantes & rabidi; eidem deinde immolari soliti. In triviis ei cœnam exponebant opulenti, quod sub noctem absumentes pauperes; tanquam Hecate comedisset. Unde *Hecates cœna* in adagium abiit, quòd esset sordida & præparca; in qua scilicet maluæ, porrum, fabæ apponebantur. Proverbiò quoque dicitur: *Hecata sacrum facere*, id est, inanem & sine fructu sumptum facere. Siquidem in hujus deæ sacris, ii qui cœnam inferebant, ipsi nihil inde degustabant, nec quidquam auferebant, præter tumultum & fumum, ut inquit in Symposiacis Plutarchus. Præerat autem Hecate veneficiis, & invocabatur ab exercentibus artem magicam. Ejus sacrificiis peractis, apparebant spectra quædam, quæ *Hecateia* nominata, eaque in varias formas se convertebant. Reperit hæc dea aconitum, venenosissimam herbam. Mulieres illi cum ululatu sacrificabant, & hæc magistrâ discabant fluviorum cursus retrò vertere, segetes aliò transferre, montes in profundum deicere, astra de cœlo deducere, tempestates ciere, & varias pestes in homines ac bestias spargere. Unam ejusmodi aliquam, quales etiam hodie de nocte volatum per aëra exercent, depingit Ovidius lib. 1. Amor. eleg. 8.

Est quædam (quicumque volet cognoscere sagam,  
Audiat) est quædam nomine *Dipsas* anus.

Ex re nomen habet: nigri non illa parentem  
Memnonis in roseis sobria vidit equis.

Ille magnas artes, hæcque carmina novit,  
Inque caput, liquidas arte recurvat aquas.

Scit bene, quid gramen, quid torto concitat rhombos,  
Licia, quid valeat virtus \* amantis equæ.

Cum voluit, toto glomerantur nubila cœlo:  
Cum voluit, puro fulget in orbe dies.

LIII 2.

San-

\* *Hippomanes*.



Sanguine (si qua fides) stillantia sidera vidī,  
 Purpureus lunæ sanguine vultus erat.  
 Hanc ego nocturnas versam volitare per umbras  
 Suspicio, & plumâ corpus anile tegi.  
 Suspicio, & fama est: oculis quoque pupula duplex  
 Fulminat, & geminum lumen ab orbe venit.  
 Evocat antiquis proavos atavosque sepulchris,  
 Et solidam longo carmine findit humum.

Hoc genus mulierculæ, quàm multæ, quàm maleficæ sint, ostendit Delrio in Disquis. Mag. Illæ cum Hecate in varias figuras & spectra abeunt; tot viperis & serpentibus cinctæ, quot nocendi cupiditatibus correptæ. Cum Luna ipsis est negotium, nam striges de nocte volant. Stipantur rabidis canibus, id est, orcinis spiritibus, à quibus in varia veneficiorum genera impelluntur. Tria habent capita, equinum, caninum, aprinum; quia in his, & aliis bestiarum formis aspectabiles se præbent. In feles non rarò, bubones, picas se vertunt, ut docet exemplis P. Georgius Stengelius tom. 2. de Judiciis diu. c. 60. & tom. 3. c. 64. Quo in loco inter alia, hoc narrat. Fui, inquit, in loco, ubi juvenis studiosus, cum animi gratiâ nescio quò vellet equitare, ocreas situ marcidas in culinam extulit: ibi laridum quærens, quo eas inungeret, emollirétque; incidit propè focum in angulo quodam in ollulam pinguedine ignota plenam, quam ad ocreas perungendas aptissimam arbitratus, corio alterius ocreæ strenuè infricuit. Quam ubi adipe jam saturatam putavit, non procul à prunis in foco deposuit, ut concalescens unguen magis imbiberet. Interim dum ocrearum alteram arripit, itidem omento imbuendam, prior illa, quasi calorem sentiens, & ab igne animata, cœpit à se moveri, erigere cervicem, & repenti de foco per caminum evolare; quam nulla vociferatione juvenis potuit retinere, aut ad se revocare. Nempe ea ipsa ollula, erat ad furcam unguendam deputata. Hæc ille vir eruditus & religiosus. Dignissimæ profectò sunt istæ, Hecates pedisequæ, quæ paranymphe carnificæ, tædam præferente Vulcano, sertum è viperis & serpentibus imponente Tisphone, epithalamium canentibus bubonibus, thalamum è pice & stramine adornante Hecate, tanquam *Pronuba*, reclinentur super struem ligneam, & per illustrem rogam subvolent cum fumo in regiones illas, quas antea super bicorni rutabulo, aut substrato hircò inequitârunt.

(e) Hic quæstio (ut hoc *εἰς παράδοξον*) movetur Ethica, pluresne sint

vene-

(e) An plures venefici an venefica.



veneficæ, an venefici? Respondet Cornelius à Lapide in cap. 12. Prov. v. 4. Plures esse veneficas. Rationem addit: Quòd mulieres sint timidæ & imbecilles, quæ quod vi & robore nequeunt, hoc fraude & veneficiis peragunt; non aperto Marte, sed ex insidiis inimicos appetentes & perdentes. Et verò paupertina Hecates cœnula non paucas ad desperationem agit vetulas, suadetque nocturnas volitare per umbras, penetrare cellas, & inempto vino se ingurgitare.

III. Restat, ut aliquid de Diana Venationum Præsede dicamus. Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum consortia fugisse, & ut à se libidinis pruritum amoveret, venando silvas incoluisse, paucarum virginum comitatu contentam. Quanquam non desunt, qui comites eï sexaginta nymphas adjungunt. Sed & *Oreades*, id est, dæ *montium* eam sequuntur, glomeranturque, cum illa choros exercet; quia montes omnes in potestate Dianæ sunt. Quæ nisi venabatur, saltare videbatur. Unde adagione fertur: *πὸρ' Ἀρεως ἐκ ἐχέουσι; quando Diana non saltat?* Arcum ferebat & pharetram, succincta semper incedens, & cothurnis suffulta. *Aeneid. 2.*

Virginis os, habitumque ferens, & Virginis arma.

Quam ob causam vocatur à Poëtis *innupta, intacta viro* quæ

Nec quid Hymen, quid sint connubia, curat.

Virginitatis amorem non tantum ipsa intemerata colit, sed socias circa se habet virgines, quas sic alloquitur:

O sociæ, mecum thalami quæ jura perosæ,  
Virgineo gelidos percurritis agmine montes,  
Expertes thalami.

(f) Quò indicatur, egregiam castimoniam imaginem fuisse in Diana expressam. Nam 1. fugiebat hominum consortia, & in altis montibus frequens versabatur, ubi purior cæli haustus, & minus à malorum contagione periculum. Romanus sapiens epist. 7. Inimica, inquit, multorum est conversatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commendat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Similis est castitas vasculo crystallino; minimo allisu frangitur. Diana pernitate pedum valuisse fertur. Pudicitiam tuentur pedes fugaces: Venus fugiendo vincitur. Quærit illa ex Cupidine apud Lucianum, cur saltem Dianam suis non figat jaculis; siquidem Musas & Minervam non possit; cui Cyrius respondet puer: Hanc ego deprehendere nequeo, quippe perpetuò per montes fugitantem. Deinde alterius cuiusdam Cupidinis illa tenetur amore, nem-

LIII 3

pe

(d) Diana, Castitatis exemplar.



pe venatu cervorum & hinnulorum, quos infectatur ut capiat, vel telis trajiciat.

2. Diana honesto se labore, nimirum venando, exercebat, & ideo virgo, quia procul ab otio. Apud virginem hanc, & eius castissimum coetum malè audiit *Salmacis* nympha, quæ cæteris perpetuò in opere defudantibus, sola sequebatur umbras, & ignavas occupatiunculas; & vel crines pectebat, vel vultum erugabat, vel genas stibio fucabat, vel speculum consulebat, vel in veste plicas emendabat, vel flores legebat, vel odorifero succo se perungebat. Et tamen videbatur sibi, plus omnibus agere, dum nihil agebat: & quia nugis occupabatur, credi volebat occupatissima. Venustè de illa *Pelignus* vates. 4. *Metam.*

Sæpe suas illi, fama est, dixisse sorores,  
Salmaci, vel jaculum, vel pictas sume pharetras,  
Et tua cum duris venatibus otia misce.  
Nec jaculum sumit, nec pictas illa pharetras,  
Nec sua cum duris venatibus otia miscet.

Undè factum est, ut non modò pudendis amoribus ipsa implicata fuerit, sed etiam in fontem conversa sit, qui undis suis, lavantium in ipso, aut ex eo bibentium, corpora probrosam in molliem effeminavit. Adeò venenum libidinis fluit ex otio; & per otium transfunditur in animos, quos magis delectant *Salmacidis* specula, quàm *Dianæ* spicula.

Non absimilis *Salmacidi* fuit *Callisto*, de qua *Symb.* 10. quam non perinde castitas, ut oris pulchritudo, dignam effecerat *Dianæ* contuberniò, *Desidiæ* erat dedita. Hinc *Naso* *Metam.* 2.

Cùm subit illa nemus, quod nulla ceciderat atas,  
Exiit hinc humero pharetram, lentosque tetendit \*  
Arcus: inque solo, quod texerat herba, jacebat,  
Et pictam posita pharetram cervice premebat.

Ecce ignaviam, ecce pulvinar, in quo periit pudor & integritas.  
Nam quid sequitur?

----- oscula jungit

----- non sic à virgine danda.

Et cum osculis ac basiis, otio marcida, virgineum honorem *Jovis*, personato amasio, turpiter vendidit ac prodidit.

3. Altiùs succincta incedebat *Diana*. Castitatis & hoc est Symbolum. Etenim apud Romanos quemadmodum *Cinctus*, armatum, strenuùmque virum significabat; sic *Discinctus*, & *Dissolutus* imbellem ac effeminatum.

\* *Id. est, remissi.*



feminatum. Et constat, virginitatem ac integritatem cingulo designari. Hinc *virginalem zonam solvere*, est pudorem virgini auferre. Divinum est monitum. Lucæ 12. *Sint lumbi vestri præcincti*. In quæ verba S. Gregorius. Tunc, inquit, lumbos restringimus, cum carnis luxuriam per continentiam coactamus. Atque ut cingulum cohibet vestes, ne diffluant; sic castitas coërcet cupiditates, ne exorbitent. Homo præcinctus expeditior est ad iter; castus animus aptior ad virtutis, cælique viam. Imaginem rei huius exhibuit angelus ille personatus, in quem *stantem in foro*, offendit Tobias, *splendidum, & præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum*. Tob. 5. Nempe splendida res est castitas, & angelis amica ac vicina. Marona illa, Proverb. 31. laudatissima *accinxit, fortitudine lumbos suos*. Quomodo fortitudine? quia robur accedit viribus à continentia, quas exhaurit & enervat libido. Hinc *castra* militum fortium, nomen habent à *castitate*. Zona in conviviiis olim adhibita hoc ipsum docet: temperantiæ admonebantur, qui cincti accumbebant; quam zonam si qui solvebant, heluones, bibones, *Discincti nepotes*, appellabantur. In Zodiaco, lato illo cæli baltheo, inter *Libram & Leonem*, *Virgo* constituta, docet, castimoniam hinc leone, inde libra tuendam. *Leo* indicat pro castitate conservanda pugnandum ac luctandum fortiter: *Libra* significat, homini continentiam amanti, temperantiam cordi habendam; revocandos ad trutinam labores, ne otietur: socios, ne seducatur: sermones, ne in iis excedat: mensam & vestem, ne lasciviat: oculos, ut custodiat: peccandi occasiones, ut fugiat. Diana certè

Nimum sævi Diva pudoris. Seneca.

4. Diana cothurnos gestabat, hoc est, calceamenta corio supposita, aut subere sublevata. Quod ipsum etiam symbolicum castæ mentis ac corporis est argumentum. Corydon pastor apud Maronem elog.

7. vovet Dianæ statuam, canens:

----- lævi de marmore tota

Puniceo stabis furas evincta cothurno.

Et de Virginibus Tyriis i. Æneid.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,

Purpureoque altè furas vincire cothurno.

Altè, dicit; ut intelligas, eas velavisse crura, ne pars aliqua pedum nuda cerneretur. *Altè* quoque, ne fordibus calcati luti aspergerentur. Nam cum homo ex corpore & animo sit compositus, fieri non potest, quin ambulanti per terram aliquid adhæreat terreni, sed leviter

tamen



tamen, & imo pede tenus, quem cothurnus suffulcit, ne profundius luletur.

5. *Pharetram & Arcum* Diana ex humeris suspendit; quod indicat, Castitatem oportere esse armatam, & semper ad pugnandum paratam. Habet tela sua Cupido, nunquam non ad ferendum intentus; habet & Castitas arma sua ad vim vi repellendam. Ille sagittas torquet blando veneno illitas; hæc, mittit spicula, aculeo timoris divini præmunita. Arcum Dianæ sensit, pudicitiae eius insidiator gigas immanis, *Orion* nomine, quem telis suis confodit, & monstrum è terra natum, latè in terra porrexit. Horatius de eo lib. 3. od. 4.

Testis mearum centimanus Gyas  
Sententiarum notus, & integræ  
Tentator Orion Dianæ  
Virginea domitus sagitta.

Quid, quòd virago hæc ne oculis quidem impudicis se peti sustinerit, quod in Actæone explicavimus, Symbol. 18.

6. Diana cum suis virginibus frequens saltatorium orbem verfabat sed pede graviore, nempe cothurnato, non lascivo & levi. Choreas exercebat sine virorum attactu sine modulis Fescenninis, sine libidinis irritamentis: non mimicas, non pudorem profanantes, sed exercitio honesto eum defendentes. Argumentum erant gaudii casti; & testes jucundi conscientiae integræ.

7. Dianæ currum cervi trahebant, fugax utique animal, & timoris hieroglyphicum. Meticulosa res est castitas, & minimo stridore terretur, ut columba. Sollicitè cavet insidias, & plagas ac retia sibi posita, prudenter declinat. In imaginibus figuratis *Cerva* pingitur candida, inter lauros, cum monili, adamantibus & topaziis ornato. En typum *castæ* virginis, quàm laurus indicat, de qua symb. 1. *Puritas* denotatur per topazium gemmam, semper viridem, semper pellucidam. *Fortitudo* & constantia castitatis, exprimitur adamante, cujus durities ne malleis quidem frangi potest. Hæc dos est virginum, potius *mori*, quàm *foedari*.

Atque hæc in laudem Dianæ Virginis, & ejus affeclarum ac comitum. Quæ dea quoniam soror est Apollinis, quis non intelligit, sapientiae sedem in animo casto collocari? Ad candida tecta columbæ, ad pudicum pectus Musæ advolant.

(g) Cæterùm in commendationem Venationis alibi disseruimus, quibus

(g) *Commendatio Venationis,*



quibus hîc quædam adungere placet. Et primò quidem, eis, quos delectat pudicitia, fugitur otium, quod diximus, per exercitationem honestam, qualis est venatoria. Ejus rei pulchrum exemplum Hippolytus fuit, de quo symb. 65. Deinde venatio firmat corpus, & animum reddit tolerantem, alacrem, & audentem ad subeundas difficultates. Tertio eadem, est utilissima disciplinæ bellicæ præmeditatio. Siquidem assuefacit diluculo surgere, frigus ac calorem pati, itinera conficere, animo præsentis hostibus occurrere, & dolos venatorios, belli tempore à belluis in homines transferre. Quarto valetudini venatores consulunt, tardiùs senescunt; sunt temperantes, & illaudatas voluptates averfantur. Enumerat Xenophon heroes multos, qui sub magistro Chirone venatibus operam ab ineunte ætate dederunt, itaque in rebus gerendis animosi, ac strenui evaserunt, ut simul *καλῶς νοεῖν, καὶ λέγειν, καὶ πράττειν*, benè intelligere, loqui, & agere didicerint.

## S Y M B O L U M C I I.

Satyrî, & cæteri dii agrestes.

*Ex Variis.*

Ethicè.

1. Juvenculi lascivi Satyrîs comparantur.
2. Petulcus Satyrorum calor.
3. In corpore deformi formosus animus.
4. Panicus terror.
5. Centauri quid significant. Cur diaboli monstrosi?
6. Dæmon in tentando homine Centaurum agit.

**M**eritò post Dianam subjungimus cæteros deos, nemorum incolas, quales sunt *Satyrî*, Latine *Fauni*, semidei numina Silvarum habitati. Formam eorum si requiris, capite erant humano, sed cornuto, pedibus caprinis, rubente vultu, naso simo, auribus asininis, toto corpore villosi, frondium latebris gaudentes, lascivi comprimis, & in Venerem proclives. Plinius eos animalia fuisse asserit, simiis haud absimilia; qui sive quadrupedes, sive recti (hoc est, in duos pedes erecti currant) tanta velocitate feruntur, ut nisi senes aut ægri, capi non queant. Vnum horum à Sylla captum Plutarchus memorat; & interrogatum

M m m m

gatum